Tibi ad manus aliquid publicum aperire
Deum precor ut cuncta feliciter evenire
iubeat, eaque omnia Tibi largiatur,
quae ad veritatis pariter ac pietatis
regnum promovendum amplificandumque sunt necessaria. Dulcis mihi semper est beati Augustini Balthasaris, viri admodum pii, memoria,
cuius in te reviviscet imago, si in
eam quam ingressus es viam, strenue
pergas, semperque memor sis monitorum quae a me accepisti. Ad me
quod attinet, grato merito agnosco
animo benignissimi Dei manus,
quod quotidie adhuc amplissimam
segetem afferat, multorum animis
ad veritatis verbique divini semen
accipiendum paratis; nec vires hucusque defecerint, quae muneri isto rite
administrando sufficiant. Hoc
saltem me sollicitum tenet, ut fidelitatem quoque tantam semper adferam,
quam tam abundantis messis copia postulat. Sed cum animus non

desit, reliqua a benigno Numinis gratia expecto. Ut porro mihi narres,
quae apud Vos geruntur, te valde
rogo. Rem enim perquam mihi gratam facies. Amicis omnibus,
atque ingratis etiam, si qui adhuc
supersunt, plurimam meo nomine
salutem dicas velim. Vale, et
quod facis, mihi porro fave. Senae
die XXX Junii MDCCXIX.